



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De 6. Beatitudine. Beati mundo corde

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De 6. Beatitudine. *Beati mundo* V.
corde, quoniam ipsi Deum
videbunt.

I. **E**Xpende, qualis mundities cordis sextum gradum constituat scalæ celestis, nimirum eximia puritas ab omnibus ijs, quæ quoquo modo cor possunt coinquinare, cuiusmodi sunt
 1. Peccata graua & leuia, maxime magis voluntaria. 2. Viciosi habitus, immortificatæ passiones, periculosæ tentationes. 3. Inordinatæ erga quasuis creaturas affectiones. 4. Quicquid natum est angelicam mentis & corporis puritatem labefactare, aut imminuere. 5. Quicquid puræ intentionis oculum vitare potest, aut obfuscare.

Quisquis ergo beatis mundo corde cupit accenseri, indefessa vigilantia satagat
 1. Expiare omnia peccata commissa, & præcauere committenda. 2. Eradicare omnes vitiosos habitus, refrenare indomitas passiones, præcauere prudenter, & repellere fortiter omnes tentationes. 3. Exuere omnem inordinatum affectum erga omnia creata, quatenus minuere

possunt amorem erga creatorem.
 Æmulari Angelorum innocentiam
 & pudicissimam in terris conuer-
 sationem. 5. Purissimam in omnibus
 agendis omittendisve conari conse-
 uare & frequenter renouare intentio-
 nem.

O quam rarum donum Dei, ad aspi-
 dum tam eximiæ puritatis studium
 peculiaribus gratiæ excitantis auxi-
 lijs exstimulari? Si id intenses, gra-
 tias age, & strenuè collabora; si no-
 sentis, vt sentire merearis, opta, & e-
 flagita. Feruor acquirendi & con-
 seruandi eximiam mentis purita-
 tem.

Sap. 7.

II. Quàm absolutum Christus no-
 bis præbuerit huius summæ innocen-
 tiæ & puritatis exemplum, qui
candor lucis aternæ, speculum sine macula
 qui longissimè ab omni inquiname-
 nto absuit, utpotè impeccabilis & na-
 turalis filius Dei.

Quis latitudinem, longitudinem
 sublimitatem, & profunditatem eius
 innocentia, puritatis, & sanctita-
 tis, utpote infinitæ, creato intellectu
 dimetiatur? Admiratio, & pro modo
 nostro, imitatio eius incomprehen-
 sibilis puritatis.

III. Quàm excellens præmium mundis corde sit promissũ, videlicet, beatifica visio Dei, quæ est essentialis beatitudo in cœlis; & clarior cognitio Dei, diuinorum attributorum, & mysteriorum fidei in terris. Contra, immundi corde æternum priuabuntur visione Dei in æternitate foras profecti cum eanibus & impudicis; & clara cognitione diuinorum mysteriorum in tempore immerfi suis tenebris & spurcitijs. Feruor in puritate cordis proficiendi, & horror culpas & pœnas immundorum incurrendi.

Apoc. 22.

De Natura, conditionibus, & gradibus perfectæ resignationis.
 De fundamentis perfectæ resignationis.

} 15.
 } 6. p. med.
 } 16.

VII.

VII.

LI 31

DO.